



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Solidæ Lessij, in morbi doloribus consolationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

XI.

*Eximia Christiana quoque fortitudinis est, infraeto animo aduersa tolerare. At supra hominem, in ijs placide conuiescere; de illis ipsis gaudere; gratias pro ipsis referre. Siquidem necesse est diuini ignis fornace incoctum pectus illud esse, quod tanto robore, tantaque amicitia, natura sua inimicum complectitur. In malis suis conuiescebat Lesius diuinarum rerum consideratione. 1. Quod non minori, quam fidei supernaturalis certitudine firmissime teneret, dolores istos, non a casu & fortuna; sed a DEO parente suo amantissimo infligi; qui de sua creatura quemadmodum de luto figulus potest disponere; cui minime dicendum sit cur ita facis? Difficilius ea passim tolerantur, quae innocens perferre cogis; facilius uero quae in uindictam magni alicuius sceleris insuguntur. Equum enim est, pacato animo sustinere per eadem te puniri, per quae peccasti. Stomachum potu opplesti, cruditates & conuulsiones recte pateris. Ia Venerem profectus fuisit in ipso libidinis organo iure bono castigaris. Patiebatur in ea corporis parte Lesius, in qua numquam se peccasse aiebat. Sustinebat tamen aquisimè tandem ab optimo Domino & parente DEO in salutem suam immisos dolores; cui nec partem quae ladat, nec modum quo ad calum ducat, prescribere debeamus.*

XII.

*Altera res erat, quae in doloribus quietem ipsi procreabat, quid aeternum gloria pondus in calis producerent. Vnde in epistola ad R.P. Antonium Susquetium Prouincia Praepositum, cuius ea uerba sunt ultima: En R.P. exposui morbum, prout potui, quia R. V. id a me petijt. Accipio totum de manu DEI, qui memor erit in die uisitationis, huius affecti uincula. Penetrarat nempe sublimis ille animus paulo altius, quam vulgò mortales solemus, in aeterna gaudia. Perspiciebat, quam temporanea, uel potius momentanea humana calamitates essent; quae hesternae cum fuissent, hodie non laderent; & quae hodierna, lucus postera non nocerent: manerent tamen in diuina acceptatione; neque eorum meritum cum ipso doloris momento periret, sed permansuram semper, numquamque effluxuram beatitatem foeneratitio sanè lucro produceret.*

XIII.

*Iam uerò non conuiesse in malis suis Lesium, sed in illis quoque exultasse, demonstrandum est. Vbi tam inuisitata, & ferè intolerabili calamitate undiq; se septum ac oppressum sensit, neque effugij locum ullum circumspicendo deprehendit; hoc unum quam studiosissime pere-*  
git,

git, ne qua similes miseras comitari solet tristitia vel minima in se resideret. Quam tamen natura nostra proclive sit in magnis arumnis contristari, satis inuicti Saluatoris nostri exemplo didicimus, qui vel ipsa dirissima Passiois memoria, ad mortem usque animam suam contristari pronuntiauit. Frequens in ore Lesio erat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? tristabatur, non quod doloribus torqueatur; sed quod eos absque doloris significatione nequiret perferre. Is erat animus ad dolores hilari pectore vultuque perpetiendos, ut se (quod tamen in malorum sensu natura cogit) ingemiscere, corpus contorquere, vultum contrahere, quasi nimis molle id esset, castigaret. Et fuit cum ob impatientiam, ut aiebat, suam, & clamores subinde editos, à Superiore sibi pœnam imponi flagitauit; cum tamen generosus eius animus omnibus esset admirationi; nec alia ferè voces, quam assidua in DEVM aspirationes & jaculatoria audirentur, quibus à DEO vel opem postularet, vel maiora supplicia peteret, vel animi latitiam prouocaret, vel denique DEO gratias referret. Sanctissimi nominis inuocatione, aiebat, se facilius acerbissimos dolores, quasi melle temperatos tolerare: unde creberrima hæ illi voces: IESV dulcis memoria, dans vera cordi gaudia. Bone IESV adiuua me. Et sanè ea inde illi dulcedo affluere videbatur, ut plures longioresque dolores, quasi plura longioraque mentis sua gaudia, hisce suspirijs, amplius laua me: amplius, amplius, laua me IESV, deposceret. Tantam animi voluptatem, & rerum diuinarum cognitionem, cum primis calculi doloribus tentaretur, adeptum se esse ingenuè confirmauit, ut sape vellet tantas animi delicias magnis doloribus emere. Emit profecto; crescentibus quippe doloribus, ex aquo delicia illi creuerunt, ut quiuis intelligat, DEVM caelestibus voluptatibus in mente restaurare, quod tolerati fortiter dolores in corpore comminuunt. Morosum illud, quod in senibus morbisque est, ab eo longè exulabat. Semper comis, alacer, serenus, affabilis. Iucundè dicebat, Iam inde à quadraginta annis incommodum anima sua lectum obuenisse; in quo numquam molliter quieuisset.

Restat, ut id demum adferamus quod in summo perfecta patientia gradu Lesium collocauit. Ingens erga se diuini amoris beneficium ingeminabat, malo illo torqueri: eo penitus se indignum; neque gratijs agendis respondere umquam posse. Intelligebat videlicet, à DEO se eligi, ut per patientiam, qua secunda ad calos via est, certam suam vo-

Rr 2 catio-

XIV.